



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Ioannis præfectura, & Philippico, & quæ ab eis gesta sunt. Caput III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

EVAGR. HISTORIAE

*De Ioannis praefectura, & Philippico, & quae ab
eis gesta sunt. Caput III.*

DVX vero copiarum in Oriente militantium primum Ioannes, genere Thrax à Mauricio missus est, qui in nonnullis praelijs male rem gerens, in alijs rursus, quod antè peccauerat, sarcians, nihil, quod sit in laude ponendum, transigit. Deinde Philippicus, affinitate cum Mauricio (vnam namque ex sororibus duxerat vxorem) coniunctus: qui extra fines imperij Romani in regiones alienas egressus, omnia, quae ante pedes erant, depopulatus est, magnisque spolijs potitus, multos tum ex nobilibus & patitijs Nisibis, tum ex alijs, qui cis Tigrim fluuium accolebant, interfecit. Congreditur porrò cum Persis, & graui commisso praelio, multos è Persis eosque illustres prostrauit, complures viuos cepit. atque vnam turmam, quae in collem opportuno in loco situm confugerat, cum capere posset, dimisit illaeram: quae quidem pollicebatur, se quam primum ad regem suum legatos de pace missuram. Alias praeterea res, dum copias Romanorum ductabat, confecit, militesque à luxu & delitijs vindicauit, & velut freno ad modestiam & obsequentiam assuefecit. Quas res his, qui vel de eiusmodi modo scripserint, vel scribere sint aggressuri, eatenus si placet persequendas relinquimus, quatenus vel auditione acceperint, vel cõceperint opinione: quorum oratio praë ignoratione labi, atque adeo claudicare, & vel praë nimio partium studio remissa, vel praë nimio odio cæcata à vero aberrare solet.

*De Prisci praefectura, & qua facto repente à
militibus suis in eum impetu, perpeffus sit.*

Caput IIII.

POST Philippicum, illud ducis munus capessit Priscus: ad quem sine causis grauibus & necessarijs non facilis & expeditus patebat aditus. Quippe existimauit, si modò multum ipse secum solus versaretur, tum se omnia ex sententia gesturum, tum copias, quibus praëfuit, eo pacto inductas ad metuendum, multo facilius eius mandatis obtempera-